



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cels[issi]mi ac rev[erendissi]mi principis Ferdinandi  
episcopi Paderbornensis ... Baronis de Fvrstenberg Votiva  
epigrammata, divis titularibus Luciae Virg. et M.  
Syracusanae, Liborio episc. ...**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**[S.l.], 1677**

Vorwort

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7730**

**D**ysenteria, quæ præterita æstate totam pene pervagata est & afflixit Germaniam, è vivis sublatum Te rumor vulgaverat. Ego, cui magnum studiorum nostrorum præsidium periisse videbatur, eo nuntio percussus, de nostro Nicolao Schateno queri, quod jacturam communis utriusque Mæcenatis prius debuerim ex publicis literis discere, quam vel de periculo per eum admonerer. Ab ipso responsum frustra præstolanti adfertur epistola, manu Tuâ exarata; nuntiatque, lue illa apud Te Neubusij obiisse Schatenum, IX Kal. Septemb. Te vero eâdem quidem, à XVI Kal. Augusti usque ad XVI Kal. Septembr. correptum jacuisse, Medicis vitam desperantibus: sed factò D. Lucix voto ita subito integræque convaluisse, ut memoriæ defuncti, viri de universæ Westphaliæ historiâ, quam scribebat, optimè meriti, epitaphium hoc scribere ac ponere potueris, in æde DD. Henrico ac Cunigundæ Augg. sacra:

Occidit Historiæ patriæ lux magna, SCHATENUS,

Quam perfecturus, si licuisset, erât.

Invidit Lachesis: quâ vitæ stamina rupit,

Historiæ filum rupit iniqua manu.

Non ideo tamen illa minus vulgata per orbem

A sera nomen posteritate feret.

Quam dedit obscura rebus jam nocte sepultis,

Auctori vitam nobile reddet opus.

Addebas, quod à Wallio nostro atque à me soteria expectares: quibus, ut par erat, missis; ne nullum vicissim remissi ac soluti post morbum animi signum dares, ad Musas divertisti; & Vota Tua, quæ, ut majori cura ac religione persolvi viderentur, in pedes suos numerosque coegeras, visum fuit ad nos mittere. Cum autem in proximo essent



<sup>4</sup>  
Paschalia festa, ut ea tibi fausta ac fortunata non sine aliquo munusculo precaremur, illud de Tuo nostroque confecimus; animumque induximus nostrum, quemadmodum cum Deo sua tribuimus eum nobis demeremur, ita officij atque observantia erga Te nostra rationes integras fore, si prospera omnia Tibi precati, Tua Tibi redderemus. Vale. Antuerpia. III Idus Aprilis anni MDC LXXVII.

CELSISSIMÆ GRATIÆ TUÆ

*Infimus Cliens*

Daniel Papebrochius S. I.



DIVÆ